

**AGRÉGATION
CONCOURS EXTERNE**

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

Dans Le songe de Scipion l'Africain s'adresse à son petit-fils et l'invite à ne pas attribuer d'éternité à la gloire terrestre.

Quis in reliquis orientis aut obeuntis solis ultimis aut aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet ? quibus amputatis cernis profecto quantis in angustiis vestra se gloria dilatari velit. Ipsi autem, qui de nobis loquuntur, quam loquentur diu ?

'Quin etiam si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes unius cuiusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam adsequi possumus. Quid autem interest ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de te -- cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati sunt ? Qui nec pauciores et certe meliores fuerunt viri

Praesertim cum, apud eos ipsos, a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo unius anni memoriam consequi possit ? Homines enim populariter annum tantum modo solis, id est unius astri, redditu metiuntur ; cum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint eandemque totius caeli discriptionem longis intervallis rettulerint, tum ille vere vertens annus appellari potest ; in quo vix dicere audeo quam multa hominum saecula teneantur. Namque ut olim deficere sol hominibus exstinguique visus est, cum Romuli animus haec ipsa in templa penetravit, quandoque ab eadem parte sol eodemque tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad principium stellisque revocatis expletum annum habeto ; cuius quidem anni nondum vicesimam partem scito esse conversam.

'Quocirca si redditum in hunc locum desperaveris, in quo omnia sunt magnis et praestantibus viris, quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguum potest ? Igitur alte spectare si voles atque hanc sedem et aeternam domum contueri, neque te sermonibus vulgi dedideris nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum ; suis te oportet inlecebris ipsa virtus trahat ad verum decus ; quid de te alii loquantur, ipsi videant, sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur iis regionum, quas vides, nec umquam de ullo perennis fuit et obruitur hominum interitu et oblivione posteritatis exstinguitur.'

CICERON, *Songe de Scipion*, VI, 22-25